



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 16. Henricus Romam obsidet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.

§. XV.

A.C. 1082.

*Geofredus Episcopus Carnotensis.**V. ep. 17.**Sup. lib.**LXII. §. 44.*

Geofredus Episcopus Carnotensis, jam semel a Legato Hugone ob Simonia Labem depositus, a Papa in Concilio Romano quarto anno millesimo septuagesimo octavo restitutus, & ab eodem Legato post duos tresve annos secundo depositus, Romam cum Propinquo suo Geofredo Episcopo Parisiensi profectus est, querelas ad Pontificem delaturus. Eum Papa expectare iussit, donec ab Hugone Diensi responsum venisset, quo accepto, etiamsi illis, quæ Episcopus Parisiensis exposuerat, adversaretur, Episcopum Carnutensem iterum restituit, postquam edito supra Corpus S. Petri iurejurando se purgasset. Hac de re conquestus est Hugo Diensis, & quæ sequuntur ostendent, non sine justa causa conquestum fuisse. Gebuino Archiepiscopo Lugdunensi rebus humanis erepto Hugo Episcopus Diensis a Clericis populoque subrogatus est, & electio a Papa confirmata. Ita Hugo ad amplissimam Sedem anno millesimo octogesimo secundo promotus est.

*IX. ep. 31.**Chro. Virid.**p. 227.*

§. XVI.

Henricus Romam obsidet.

Eodem anno Rex Henricus per Ducatum

tum Spoletanum Romam movit, urbem-
 que per totam Quadragesimam obsedit. *Sæculum XI.*
 Adduxit etiam Clementem Antipapam, *A. C. 1082.*
 & totam pæne æstatem frustra ante mœ- *Act. Greg.*
 nia consumpsit. Quin Basilicæ S. Petri *c. 3. ap. Boll.*
 ignes injicere conatus est, ut Romanis *p. 153.*
 extinguendo incendio intentis urbem *Bertold. an.*
 viris vacuum superaret; sed primus *1082.*
 omnium Gregorius Papa eo procedens,
 grassantes flammæ, quas nescio quis pro-
 ditor proximis ædibus subdiderat, re-
 pressit. Tandem Henricus, sævientium
 æstuum magnitudine conflictatus, ab op-
 pugnatione recessit, exercitu per vicina
 loca diviso, ac, se absente, Antipapa rei
 bellicæ universæ præfecto. Is Tibure
 stationem delegit; Imperator vero Epi-
 scopo Sutrimo & quibusdam aliis captis
 in Longobardiam rediit. Ergo Antipa-
 pa reliqua æstate Romanos laceffit, ar-
 va devastat, depopulatus oppida, malo-
 rum innumerorum auctor.

Hermannus Rex Gregorio Papæ au-
 xilium ferre cupiens, cum usque in Sue-
 viam processisset, rebus propriis dome-
 sticis id postulantibus in Saxoniam re-
 verti cogitur. At anno sequente mille-
 simo octogesimo tertio Rex Henricus Ro-
 mana mœnia repetit, eoque ante Festum
 Pentecostes pervenit. Quia vero indi-
 gnabatur, quod Hugo Abbas Cluniacen- *Act. c. 3. n. 15.*
 sis, tunc in Italia commorans, & com-
 plures

Sæculum XI. **A.C. 1083.** plures alii spectata Sanctitatis viri ipsum pro excommunicato haberent, ut se tantis viris purgaret, Episcopum Ostiensem & complures alios captivos libertati restituit, præsidium omnibus Romam ad Sacra limina ituris addito juramento promisit, & publice edixit, se coronam Cæsaream de manu Gregorii Papæ velle accipere. His auditis populus Romanus multique viri pii magno lætitiæ sensu resecti sunt; atque ad pedes Pontificis advoluti instantissime & inter lacrymas rogabant, ut commiseratione in patriam jam pæne perditam moveri se sineret. Respondit Gregorius: *Sæpius, quam versuti ingenii homo sit Rex Henricus, expertus didici. Nihilominus si Deo & Ecclesiæ satisfacere velit, dabo ei coronam Romani Imperii, secus frustra estis.*

Bellum
trienne.
Bertold.

Rege satisfacere recusante, & Papa, licet populus nihil omitteret, quo ejus animum flecteret, constanter id exigente, Rex tum largitionibus, tum etiam timore incusso, populum, præterea trienni obsidione fatigatum, sibi sensim obnoxium reddidit. Ergo statutum, ut Papa circa medium mensis Novembris Concilium celebraret, in quo quæstio de Regno decideretur, & deinde Henricus, Romani, ceterique omnes, illa Decreta servare tenerentur. Henricus jurejurando

ando promisit se fidem publicam datu- Sæculum XI.
rum omnibus ad hoc Concilium ituris, A.C.1083.

& Papa datis literis omnes Episcopos ac
& Abbates convocavit. Interim, Henrico
in Longobardiam reverso, præsiarios,
quos archi prope S. Petrum imposuerat,
tum feralis contagio abstulit, ut ex viris
quadringentis vix triginta superessent;
quod Romani, S. Petro injurias suas ul-
ciscente, evenisse crediderunt.

107.9.01.01

Henricus, Guiberto Antipapa Raven-
nam remisso, itineri se dedit, Concilio
Romano adfuturus, quo etiam Legati
Principum Germaniæ se contulissent, ni-
si eos iter facientes Forocassii in Tuscia
circa Festum S. Martini, violata quam
dederat fide publica, comprehendi & cu-
stodiæ tradi jussisset. Erant hi Nuncii
quidam ex Germania Monachi & Cleri-
ci. Cum eis etiam captus est Otto Epi-
scopus Ostiensis, cum a Legatione, qua
apud Henricum functus erat, rediret.
Complures tamen Præsules Franci, tum
Episcopi tum Abbates, ad locum Concilii
pervenerunt; sed Henricus illos præ ce-
teris arcebat, quorum opera Pontifici
fuisset maxime necessaria, quales Hu-
go Lugdunensis, Anselmus Lucensis, &
Renaldus Comensis erant.

Forocassii
Concilii

Igitur Gregorius Papa a vigesima
Novembris Concilium celebravit tribus
diebus, idque inter illa, quæ sub Grego-
rio

Hh 5 rio

Sæculum XI. rio convocata sunt, nonum habetur.
 A.C. 1083. Nam per bellicos tumultus integro tri-
 ennio Concilium, ut solebat, in Quadra-
 gesima celebrare non potuerat. Huic
 vero complures Præsules ex illa Italiae
 parte, quæ meridiem spectat, interfue-
 re & Gregorius Papa tanta dicendi vi de
 fide, de moribus Christianorum, de con-
 stantia in illius temporis persecutione
 necessaria, peroravit, ut ex omnium præ-
 sentium oculis lacrymas elicuerit. Tan-
 dem ægre Patrum precibus dedit, quod
 latam in Henricum excommunicationem
 novo anathemate non confirmaret; illos
 autem omnes, qui Romam pergentibus
 obstiterant, iterum diris devovit.

Romanorum
 consilia.

At Romani ætate præterita, Papa in-
 scio, se Henrico iurejurando obstrinxe-
 rant, se Papam ad eum coronandum
 compulsuros esse, aut alium Pontificem
 electuros. Igitur ubi tempus adventi,
 quo se promisso exsolvere tenebantur,
 quod res erat, Papæ aperiunt, adjicien-
 tes, neutiquam se promisisse, quod eum
 Papa solemniter & unctione coronatu-
 rus esset, sed ei simpliciter coronam da-
 turus. Consensit Papa, ne perjurii rei
 fierent. Tum Romani Henrico denun-
 ciant; veniret, & Papæ satisfaciens co-
 ronam deinde salva Justitia acciperet, &
 si satisfacere nollet, veniret tamen, tunc
 enim Papam coronam virgæ impositam
 ex

111.

ex arce S. Angeli per fenestram jacturum ^{Sæculum XI.}
 esse. Henrico utrumque recusante, ei ^{A.C.1084.}
 significant Romani, se jam conditiones
 juramenti implevisse. Ipse vero nihilomi-
 nus eos tum minis tum pollicitationibus
 in suas partes pertrahere satagebat. Ce-
 terum annis jam septem, quibus jurgia
 inter Gregorium Papam & Henricum
 Regem fervebant, pauci Episcopi in Pro-
 vinciijs Regi subjectis Papæ fidem serva-
 bant, & ex his paucis plerique Ecclesijs
 suis ejeti in Monasteriis latitare coge-
 bantur.

Alexius Imperator Constantinopoli-
 tanus, ut Roberto Guischaro negotium
 in Italia facefferet, datis ad Regem Hen-
 ricum literis eum ad arma Normanno
 inferenda concitaverat, atque in belli
 subsidium centum quadraginta quatuor
 Solidorum aureorum millia, & centum
 texta purpuræ miserat. At Henricus ^{Bertold.}
 hac pecunia callide in rem suam usus, ^{1084.}
 Romanum populum corrumpit, cujus fa- ^{Anna. Comni.}
 vore in Lateranense Palatium cum Gui- ^{lib. 3. p. 93.}
 berto Antipapa Feria quinta in Festo S.
 Benedicti, vigesima prima Martii, anno
 millesimo octogesimo quarto, admissus
 est. Major vero Nobilium Romanorum
 pars Pontifici adhæsit, qui in Munimen-
 tum S. Angeli se recepit. ^{epist. Henr.}
 Dominica se- ^{to. 12. Spi-}
 quente, nempe Palmarum, Guibertum ^{cil. p. 228.}
 sub nomine Clementis III. ab Episcopis
 Bono-



Sæculum XI. Bononiensi, Mutinensi, & Cerviano in
A.C. 1084. possessionem Sacræ Sedis immitti iussit,

Chro. Vird. cum potius more antiquo Papa ab Epi-
p. 2287. scopis Ostiensi, Albanensi, & Portuen-

Act. Greg. si ordinari debuisset. Tum in Festo
ap. Boll. c. 3. Paschæ ultima die Martii Antipapa Re-
n. 14. gi Henrico coronam Imperii imposuit.

Ambo vero in Laterano versabantur, nam qui Gregorii partes tuebantur, eos armis a Basilica S. Petri arcebant, cumque Imperator in ipsa Hebdomada Paschali Pontificios fuisset aggressus, viros ex suis ferme quadraginta amisit, nullo eorum, qui pro Papa pugnabant, cadente; unde ipsam S. Angeli arcem obsidere postea cœpit.

Ubi urbem intrare licuit, nihil anti-
quius habuit Henricus, quam Theodori-
co Episcopo Virdunensi, qui factioni Cæ-
saris tanto studio favebat, ut nemo ma-
gis, perscribere, se Romæ esse, & coro-
nam Imperii accepisse; tum in eadem
epistola suo & Clementis Papæ nomine
Theodorico præcipiebat, ut sine mora
Egilbertum Archiepiscopum Treviren-
sem ordinaret. Quod brevi post tem-
pore Theodoricus, assistentibus aliarum
provinciarum Episcopis, executus est.
Cum vero Egilbertus Clericos ordinare
pararet, & a suis moneretur, id ipsum
non posse, quia Pallium non accepisset,
misit nuncios, qui hoc Insigne ab Anti-
papa

Hist. Trev.
to. 12. *Spicil.*
p. 22.

p. 232.

papa Clemente peterent. Idque ille lu-
bentissimo animo concessit.

Sæculum XI.
A.C. 1084.

§. XVII.

Desiderius Abbas coram Henrico.

Ubi Principes Longobardi, qui Apu-
liam incolebant, Regem Henricum
urbi exercitum admovisse compererunt,
spes subiit, eum Roma capta Normannos
ex occupatis sedibus ejecturum esse. Illi
contra satis intelligentes, quantum eorum
Reipublicæ, Roberto Guischaro absen-
te, periculum immineret, Regi fœdera
offerre statuerunt, cumque in Desiderio
Abbate Cassinensi multum fiducia po-
suissent, eum rogarunt, ut cum ipsis Re-
gem adiret, quia non solum sibi pacem
quærerent, sed etiam concordiam inter
Henricum & Gregorium Papam reduce-
re cuperent. Henricus Rex quoque De-
siderium Abbatem sæpe vocari jusserat,
qui hactenus venire detrectaverat. Sed
tandem, cum formidaret, ne ista constan-
tia monasterio suo perniciem conscisce-
ret, cum Normannis & Principe Capua-
no ad Regem perrexit, id solum cavens,
ne in hoc itinere cum excommunicatis
communicaret. Quare compluribus
Episcopis aliisque viris spectatissimis,
amicis suis, & inter alios Regis Cancel-
lario occurrentibus, osculum pacis non
dedit,

Chron. Cass.
l. III. c. 50.